





1
6
141









PETRI BEMBI DE AETNA AD ANGELVM CHABRIELEM LIBER.

f Actum a nobis pueris est, & quidem sedulo Angele; quod meminisse te certo scio; ut fructus studiorum nostrorum, quos ferebat illa ætas non tam maturos, quam uberes, semper tibi aliquos promeremus. nam siue dolebas aliquid, siue gaudebas; quæ duo sunt tenerorum animorum maxime propriæ affectiones; continuo habebas aliquid a me, quod legeres, uel gratulationis, uel consolationis; imbecillum tu quidem illud & tenue; sicuti nascentia omnia & incipientia; sed tamen quod esset satis amplum futurum argumentum amoris summi erga te mei. Verum postea, quam annis crescentibus & iudicium & studia creuerunt, nosq; totos tradidimus græcis magistris erudiendos; remissiores paulatim facti sumus ad scribēdum, ac iam etiam minus quotidie audentiores. Itaq;, quas pueri misimus ad te lucubrationes nostras, numerare aliquas possumus; quas adolescentes, non possumus: quo in consilio nobis diutius permanendum esse non puto. nam ut interdum non loqui moderati hominis est; sic semper tacere cum eo, quem diligas, perignaui. neq; hercule; si in officio permansimus in prima ætate; debemus nunc, tanquam inexercitati histriones, in secundo aut tertio actu defecisse: praesertim cum æmulatio tuorum nos studiorū Angele non excitare modo languentes possit, sed plane etiam incendere: quippe, qui multa & præclara habuimus

a te ſemper, habemusq; quotidie & conſuetudinis noſtræ teſtimonia & doctrinæ tuæ. Quare ſicuti pueri ſcriptiunculas noſtras, quaſi lactentis ingenii acerbitatem, detulimus ad te; ſic nunc deinceps etiam ad te adoleſcentiæ noſtræ primos fœtus deferemus; non ut me ipſe plus ames: nam iam id fieri poſſe uix puto: ſed certe quia ita debemus inter nos: neque enim arbitror cariorem fuiſſe ulli quenquam; quàm tu ſis mihi. Sed de his & diximus alias ſatis multa; & ſæpe dicemus. Nunc autem; quoniam iam quotidie ferè accidit poſtea quàm e Sicilia ego & tu reuerſi ſumus, ut de Aetnæ incendiis interrogaremur ab iis, quibus notum eſt illa nos ſatis diligenter inſpexiſſe: ut ea tandem moleſtia careremus, placuit mihi eum ſermonem conſcribere; quē cum Bernardo patre meo habui paucis poſt diebus, quàm rediiſſemus: ad quēm reiiciendi eſſent ii, qui nos deinceps quippiam de Aetna poſtularent. Itaque confeci librum; quo uterque noſtrum communiter uteretur. Nam cum eſſemus in Noniano; & pater ſe, ut ſolebat ante atrium in ripam Pluuici contuliſſet; acceſsi ad eum progreſſo iam in meridianas horas die: ubi quæ locuti ſumus inter nos, hæc ferè ſunt. Tibi uero nunc orationem utriuſque noſtrum, tanquam habeatur, explicabo; non tanquam recenſeatur. Igitur cum illum multa in umbra ſedentem comperiſſem; ita initium interpellandi eum feci. PETRVS BEMBVS FILIVS. Diu quidem pater hic ſedes: & certe ripa hæc uirens; quam populi tuæ iſtæ denſiſsimæ inumbrant, & fluuius alit; aliquanto frigidior eſt fortaſſe, quā ſit ſatis. BERNARDVS BEMBVS PATER.

Ego

Ego uero fili nuspiam esse libentius soleo; quàm in hac cum ripæ, tum arborum, tum etiam fluminis amœnitate: neque est, quod uereare, nequid nobis frigus hoc noceat, præsertim in tanto æstatis ardore. Sed fecisti tu quidem perbene; qui me ab iis cogitationibus reuocasti; quas & libentissime semper abiicio, cum in Nonianum uenitur; & nunc quidem nobis nescio quo pacto furtim irrepserant non modo non uocantibus, sed etiam inuitis. B. F. De rep. scilicet cogitabas aliquid, aut certe de triumuiratu tuo: sæpe enim ex te audiui, si fieri possit uelle te, in agris cum esses; quoniam tibi id cum modice contingeret, tum etiam perraro; de iis, quæ in urbe agantur, tanquã lethæo aliquo sumpto poculo, nihil omnino recordari.
B. P. Est ita, ut dicis: nam cum ab urbe propterea me frequentiaque hominum, tanquam a fluctibus, in hunc solitudinis portum recipiam; ut relaxem a curis remittamque paulisper animum; meque ipsum restituam mihi, atque ad reliquos confirmem labores: ut in ludis athletæ solent: qui cum prima in lucta desudarint; considunt parumper, seseque reuocant, ut sint ad reliqua postea certamina ualentiores: si tamen illæ ipse me rus etiã prosequuntur, quas fugio curas & sollicitudines; profecto nihil ago: quod mihi quidẽ nunc ipsum euenit: qui cum solus in hac ripa consederim, ut dignum aliquid hoc silentio meditarer; ecce nos unda illa ipsa resorbuit urbanorum negotiorum; paulatimq; in triumuiratus mei curas delapsus sum.
B. F. Ita sanè coniectabar: uisus es enim mihi iandudum nescio quid multa cogitatione commentari; neque eo uultu, quo esse hic soles, hilari & soluto; sed quo te in

urbe conspicimus, contractiore interdum & graui. B. P. Recte coniectabare. Sed ista tandem, quoniam nimis iam molesta sunt, obliuiscamur. B. F. Vtinam ipse id possis pater; tibique istud, quando ita te iuuat, tam facile factu esset; quam dictu est. sed omnes curæ, quæ quidem sint maxime, ita fere se habent; ut si insequaris, non fugiant; si fugias, etiam insequantur. Munus autem istud tuum cum est ipsum negotiosissimum per sese; quippe; a quo ferè omnes reip. nostræ partes pertractantur; quodque uniuersæ ciuitatis cætararumque urbium nostrarum aduocationem sustinet: tum uero illud etiam accedit; quod tu is es, qui maxime omnium tranquillitatem animi requietemque deames: quo fit; ut magis etiam illa sentias, quæ te premunt. B. P. Est fili, est sanè causa illa quidem non leuis; quæ mihi labores adauget meos: sed tamen, ut uerum fatear, aliud quiddam maius me mouet: quod ipsum nuper me in urbem reuocauerat, sic dum sederem; reuocatque sæpissime. B. F. Quid illud tandem est? B. P. Quod reip. causa non commoueri neque uellem, si possem; neque possem, si uelim: nam cum ab ineunte ætate ita uitam instituerim meam; ut patriæ adessem semper; prodessem, cum possem; potuerim autem nonnunquam uel iuuenis & domi & foris; illa uero me sæpe muneribus reliquis, sæpe legattonibus honestarit: eam ipse si deseram nunc, cum & experientia & consilio & auctoritate plus ualeo; quid sit aliud; quàm si tu me iuuenis senem destituas, filius patrem? B. F. Duas igitur causas prædicas pater curarum tuarum, duras tu quidem illas

& graues; uerum, quia te sciente a te ipso proueniunt, perferendas. Nam qui te idem & actionibus tradidisti; quibus otio inimicius esse quid potest? & rus amas secessusque istos tuos; quæ quidem, cum multo diutius ipsis ca reas quàm fruaris, uitam tibi illam efficiunt molestiorem; dolendum tibi non puto; si te uel illis ipsis rebus condemnes, quas fugis; uel fugias omnino, quæ te iuuant. Sed illud tamen quale est, quod te dixeras reip. causa commoueri? an te fortasse mi pater motus ii Galliarum perturbant; qui feruntur? B. P. Minime illi quidem: uerum admodum gaudeo te e Sicilia rediisse: nam si aliquid euenerit; malo te hic esse, ubi omnes sumus; quam illic, ubi neminem habes tuorum. B. F. Equidem adsum ac libens cum ea de causa, tum quia uobis omnibus ca rebamus iam nimium diu: caue tamen putes nobis hoc Siciliensi biennio quicquam in uita fuisse iocundius. B. P. Gaudeo & id quidem: idque ipsum ex eo suspicabamur; quod nondum ad nos cogitabatis. Sed postea quam in eũ sermonem incidimus, ut de Sicilia loqueremur; narra mihi quemadmodum ea se habent, quæ de Aetnæis ignibus & feruntur passim, et leguntur: te enim accessisse illuc cũ Angelo tuo, totumq; mõtem perlustrasse audiebamus: & nobis quidem certe nunc uacat: quid enim hoc æstu agamus meridiani? neque est, quod ego soleam libentius, quam de naturæ miraculis audire. B. F. Hæc uero, ut libet: & quidem eiusmodi sunt; ut tibi audienti afferre uel magnam possint; mihi certe narranti semper aliquã afferant uoluptatem. quanquã quidem iam hoc ipsum facimus nimis sæpe. quã enim multis nos eadem ipsa censes postea quam e

Sicilia reuersi sumus, narrauisse? Sed consurge, si placet, ab hac umbra: atque ad illa buxeta nostra, si tibi uidetur, sedesque pergamus. B. P. Periniquum tu quidem facis; qui de ignibus loquuturus ab umbra & frigore decedendum putas: sed quando ita uis propter aquam potius in ripa deambulemus; & cum fluuio sermoni reliquo demus operam loquentes: ita mihi uidebor melius tuas illas flammas Aetnæas, si me offenderint, Pluuici mei unda temperaturus. B. F. Illæ uero neque te offendent, cum absint longissime: neque hic si adessent, restinguere illas posset Pluuicus tuus; cum mare ipsum etiam cedat illis uolentibus, atque earum ardoribus contrahatur. B. P. Magnum exordium incoas fili; ac iam plane uix credenda sunt ista, quæ dicis: uerum, qui ita fiat, explana id etiam mihi. B. F. Faciam, ut iubes: sed opus est ante, quàm illò ueniam; ut aliqua te prædoceam deque insulæ, deque montis natura: quibus cognitis ad ea, quæ postulas, recta pergemus uia. B. P. Age, ut libet: modo ad illa etiam aliquando ueniamus: quin etiam mihi feceris gratissimum; si ea lege inceperis, ut nequod pulchrum prætereatur; siue uidisti aliquid, siue audiuisti, siue quid es ipse commentatus. B. F. Ego uero si placet iter tibi nostrum omne ordine recensebo; teque a Messanæ menibus usque in Aetnæ cacumen perducam. B. P. Placet, & cupio: incipe igitur; uiamque ipsam omnem reminiscere, & tanquam recurre, si potes. B. F. Agam sedulo id quidem: itaque ne te teneam diutius. Quartusdecimus mensis agebatur; ex quo ego & Angelus meus apud Constantinum præceptorem

græcarum literarum ſtudiis exercebamur: neque ſanè ad huc uacuum ullum tempus dederamus nobis laboris; ac ne unum interea integrum intermiſeramus diem. B. P. Nimium fuiſtis aſsidui ueſtris in ſtudiis adoleſcentes, uel etiam ſuperſtitioſi: annum & menſes nouæ linguæ rudimentis incubuiſſe nullo intermiſſo die? mirum; ſi uos uel habitudo illa prior deſtituit, uel color: nos tamen e nauigatione traxiſſe uos pallorem iſtum & maciem putabamus. B. F. Ita euenit: ſed iam tandem nos ipſos reſpe ximus: placuit enim ut Aetnam uiſeremus; atq; interea, dum animi relaxarentur, tantum naturæ miraculũ etiam feriati noſceremus. ita iocũdis aliquot ſumptis comitibus, conſeſsis equis Meſſanam reliquimus. ſed iter ſummo lit tore facientibus nobis Taurominium uſque memorabile nihil conſpectum eſt: A leua ſtatim Rhegium & Brutii agri paruo primum, mox latiori maris interuallo aperien tibus ſe ſe paulatim anguſtiis proſpectantur: a dextra col les continui imminent, Bacchi tota feraciſsima plaga & Mamertinis uinetis minus fortaſſe, quàm olim fuit, tanquam ab ipſa uetuſtate contritis iam laudibus; ſed tamen ſatis nunc etiam percelebris. In medio ferè itinere, uel paulo amplius caſtellum Niſus ex aeria montis rupe uiatoribus ſe oſtentat. unde illud deuectum Ouidianum,

Niſiades matres, ſicilideſque nurus:

Incolæ uallem etiam omnem, quæ ſubeſt, Niſi regionem uocant. B. P. Erit iſto ſanè modo etiam aliquid infra Taurominium memorabile: nam de hoc poetæ uerſu, ſi recte memini nobis pueris nondum inter grammaticos con ueniebat: qua quidem in re adhuc illi arbitrum ſi quæ-

runt; plane uideo eam controuersiam posse dirimi a Niso tuo: a quo nescio quam blande cæteri hospites excipiantur: te certe, ut illi dicerent, etiam elegantiorem remisit: Sed sequere. B. F. Taurominii cum ueterum monumentorum reliquiæ plures uisuntur, templa, sepulchra, aquæductus: quin sæpe temere græca numismata passim effodiuntur affabre facta illa quidem, neque in æs modo insculpta; sed in argentum, sed in aurum: quod etiam Syracusis crebro accidit, & est iam totius ferè insulæ familiare: tum coctile theatrum adhuc manet paulò quam id, quod Romæ uidimus, minus; nisi quod illud amphitheatrum est: quæ quidem omnia eo inspexi diligentius; quod te recordabar plurimum semper ueterum hominum imaginibus monumentisque, tanquam uirtutum illorum & gestarum rerum testibus, oblectari. Vrbs ipsa loco præcelso atque edito sita, & montium angulo promissa in pelagus mare Ionium longe lateque prospicit. theatrum ultimam anguli rupem insedit; qua collis conspicuus ante omnem urbem in circum planitiem ducens audentior procurrit in mare; atque hinc fluctibus, inde urbe medius ipse terminatur. E Taurominitano demissi iugo, & littore paulatim relicto, uallemque ingressi; quam a leua Aetnæ radices, a dextra Taurominitani montes efficiunt; per eam Randatium peruenimus nouum oppidum, & in Aetnæ radicibus, qua parte mediterranea despectat, situm: Iter totum a Taurominio nobis quatuor & uiginti mil. pass. confectum est. uallis sonoro & perpetuo flumine scinditur & irrigatur. Platani numerosa

sylua utrasque ripas inumbrantes maximam sibi uallis partem egregiæ incolæ uendicarunt. B. P. Ain'tandem, platanos illæ habent ripæ? B. F. Pulcherrimas illas quidem, & multissimas: ut non Socratem modo, aut Platonem, scholasque omnes mitiores suis umbris inuitare possint ad philosophandum; sed etiam Gymnosophistas durissimos illos quidem homines, & sole admodum delectatos. B. P. Quam uellem; ut cum earum duabus possemus, uel tribus arboribus multo plures fructiferas arbores ex illis quas in quinquuncem dispositas habemus, commutare. B. F. Vtinam illæ tibi potius pater iis stantibus totum Pluuicum obduxissent: poterant enim uel uniuersum Nonianum: sed nescio an isto sub cœlo prouenirent. B. P. Equidem arbitror: nam illis postea quam in Italiam traiectæ sunt, & quidem ab ipsa Sicilia primum; multæ urbes abundauere: quanquam posteriorum hominum negligentia deperierint: nos enim; dum Romæ essemus; unam, quæ in ima ripa speculi est Dianæ Aricinæ, pro miraculo uidimus. Sed nihil est profecto, mihi crede, nihil est fili; quod effici ab homine cura diligentiaque non possit: nos enim; ut de me ipso loquar; quibus tamen, ex quo hanc uillam exædificauimus iam inde ante quam tu esses natus, consumere hic nondum etiam licuit triginta integros dies; neque quando licebit scio; cupiam certe semper, & peroptabo; uides quam multos tibi posuerimus ordines pulcherrimarum arborum uel nostratium, uel aduenarum? qđ si etiam platanos habuissem, nunquã illæ me uiuo periissent: et haberes tu quidẽ nunc, quo melius inuita

re posses Faunum tuum; & ille, quo libentius accedere. B. F. Vellem equidem mi pater: sed, quando id effici non potest, oblecta te populis tuis: tum etiam si placet; sicuti matres filiorum nomina, qui desyderantur, in eos sæpe transferunt, quos habent; ita & nos platanos istas uocemus. B. P. Mihi uero placet has populos semper uocari: atque haud scio, an etiam cum eas tempestas uetustas'ue consumpserit; ut ait ille de quercu Mariana; tamen erit in Noniano populus, quam Bembeam populum uocent: ita mihi quidem uidetur illas æternitati commendasse suis carminibus Aurelius noster. Quare;

Quæ uitreas populus arduo
Bembeas ad aquas uertice tollitur
Viuum cespitem obumbrans
Intonsa bicolor coma;

sit semper populus: crescat; surgat altius uel aquula hac, uel poetæ uersu: sed, ut ad platanos redeam, non tam hoc mea causa cupiebam fili, quàm tua. ego enim me oblectaui satis; tum experiendo illud didici, ut nequid admirarer: neque si quid sero aliquando; quod facio semper, cum licet; siue ædifico aliquid, aut paro; propterea id facio, uel quia illis omnibus rebus putem me esse usurum, cui me ipso uti iam meo ipsius iure non licet; uel quia non facile illa possem contemnere, quibus carerem: quid enim mihi potest iam ad eos dies, qui mihi reliqui sunt ad uiuendum, esse non satis? uobis illa parantur pueri; uobis illa inquam non mihi: scio enim quam a parentibus quæsita hæc dulcius accipere soleant liberi, quam ipsi facile comparare; siue qđ in quærendis rebus plerique

laborem fugimus, in partis omnes uoluptatem amamus; siue quod in iis, quæ nobis a maioribus nostris relinquuntur, insit etiam memoria illorum, qui tradidere: quæ illa nobis nescio quo pacto cum sanctiora efficiat; tum certe facit multo etiam iocundiora. B. F. Mihi quidem pater & nunc ista carissima sunt, quæ, qua es in nos amoris exuberantia, a te uideo dici; & erunt semper, dum uiuam, fixa animo & memoriæ meæ; cupioque, ut ex iis ipsis rebus, quæ mihi a te quæq; fratri comparantur meo, longissimam ipse nobiscum percipias uoluptatem. Sed si tibi nos unquam naturæ lege superuiuemus; habeo alia ego, ut de me tantum loquar: nam de fratre quanquam multa possent dici; malo illi integram causam relinquere respondendi tibi: habeo alia inquam; quæ mihi sanctissimam tui memoriam semper efficient etiam absque Noniano tuo: quippe; qui me puerum educaueris non diligenter modo; sed planè, quod uere mihi uideor esse dicturus, etiam religiose; habueris tecum in legationibus tuis; imbueris optimis moribus; omnibusque bonis artibus, quod in te esset, ita semper institueris; ut uerear, ne sim prorsus ingratissimus, ultra hæc mihi a te si quid unquam relictum optauero; tum si de iis ipsis tibi non ego semper maiores gratias habuero, quàm si mihi magnificas uillas construxisses. Quare ista quidem de causa nihil est sanè, quod labores. B. P. Ego uero ac multum: nam qui tibi illa præparauerim; quæ sunt longe potiora meo quidem iudicio, &, ut uideo, etiam tuo; curandum mihi est hæc tibi ut ne desint: quæ cum minora quidem sint, ualde tamen sunt necessaria: quemadmodum si te quis ad cœnam uocet; fer-

culaq; afferat cum uaria, tum sumptuosa; uina multifariam apponat; ministros adhibeat; calices quærat, & uasa uel argentea, uel aurea; nisi statuerit triclinium, aut mensas in hortulo disposuerit, ut tibi stanti cœnandum sit; certe tu illum nihilo probes magis, quam si tam multa omnino non parauisset: Ita mihi eueniet patri: nam qđ te recte instituerim a puero; mecum habuerim semper; utranq; linguã te docendum curarim id est ad cœnam uocasse te satis dubiam & sumptuosam; in qua depasceres animum tuum, teq; ipse conuiua elegans oblectares: conuiuæ nanque sumus omnes, dum uiuimus; neq; aliud est omnis uita nostra, qua sub hac mundi luce fruimur; quam longa concœnatio, aut ut iam uerius dicam conuictio. qđ si nec sedem ullam tibi, nec umbram aliquam præbuero cœnanti; hoc est nisi uiuenti diuersorium secessumq; gratum aliquem parauero studiis & musis tuis; profecto non tam in illis laudabis diligentiam meam; quam in his etiam culpabis negligentiam: neq; tam pulchra ea tibi esse uidebuntur, quibus habundaueris; quam fuisse illa, quibus carebis, necessaria: ita fiet; ut cum semel abiero; tu me sæpius accuses, quam probes. B. F. O mi pater; me ne tam impium unquam futurum, ut te audeam accusare? ego te unquam accusem pater? quid si non tu me sæpe monuisses, & ego aliquando scriptum legissem a summis ac sapientissimis uiris, animi bona esse, quæ beatos homines facerent sola ipsa per sese, quæq; opis externæ non egerent? ea neque eripi posse cuiquam, nec ætate senescere, nec morte interire? cætera omnia manca esse, labilia, momentanea: quæ quoniam fortuna & casu regerentur; tanto esse magis quenq;, quan

tum illa contemneret, uel diuitem, uel etiam sapientem? animos nostros ex æthere a sede in hãc corporis labem pro fectos ea lege, ut ad illam ipsam purgati aliquando reuer-terentur, quæ hic essent despicere; ad illa se intendere, quo properarent? me uero, quem ista quandoque docuisses; nisi mihi uillam reliqueris syluamque platanorum; putas tibi esse succensurum? non est ita mi pater: ne putes. B. P. Non puto. B. F. Neque me tam dementem existimes uelim. B. P. Non existimo. B. F. Quid ita igitur loquebare? B. P. Quia noueram mores hominum; tum etiam pertentare te prorsus uolui, quam recte ista sentires. Sed omittamus hæc iam tandem fili; atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, reuertamur. Et quoniam me impellente nimium iam extra Aetnæ terminos prouecti sumus; non committam, ut te interpellem sæpius; nisi quid erit, quod de ea ipsa te rogem. B. F. Tu uero, ut lubet: ego autem, ut te uideo uelle, sic faciam. Sane mons ipse situ, forma, magnitudine, fertilitate, incendiis mirus; demum tota sui qualitate ac spetie longe conspicuus, & sibi uni par est. Ab aurora mare Ionium bibit; & Catinam sustinet imo in pede: cum sole descendit in insulam ea parte, qua Tyrrenum pelagus est, & quæ Aeoliæ appellantur: laterorsus, in septentriones uergenti Pelorus obiicitur, & Italiæ angustiæ sunt: contra reliqua insula subiacet, tractusque ii omnes, qui cum Lilybœo in Africam protenduntur. Ipsa Aetna radices suas fere in orbem deducit; nisi sicubi orientem & meridiem uersus promisso cliuo paulisper extenditur. celebs degit; & nullius montis dignata coniugium caste intra su

os terminos continetur. circumitur non minus, quàm. c. mil. pass. ascenditur ferè per uiginti, qua breuior uia. Imi colles, ac omnis radicum ambitus per oppida, & per uicos frequens incolitur; Baccho, Pallade, Cerere feraces terræ; armentorum omnis generis supra, quam credas, feracissimæ. Hic amœnissima loca circunquaque: hic fluuii personantes: hic obstrepentes riui: hic gelidissimæ fontium perennitates: hic prata in floribus semper & omni uerna die; ut facile quilibet puellam Proserpinam hinc fuisse raptam putet: hic arborum multiiugæ species & ad umbram crescentium, & ad fœcunditatem; in qua etiam tantum excellunt cæteras omnes arbores; ut mihi quidem magis huic loco conuenire uideantur ea, quæ de Alcinoi hortis finxit Homerus; quam ipsi Phæaciæ; in qua certe nos cum e Sicilia rediremus, nihil eiusmodi uidimus, quod nos tantopere oblectaret: ut etiam non inurbane Angelus meus interroganti eum cuidam ex Phæacibus, qui nobis urbem omnem ostenderat, quidnam illi uideretur; ita respõderit: Ego Phæaces debere uos quidem, inquit, Homero permultum existimo; qui uobis plura etiam tribuit, quam ipsa natura. referam (si potero) latine; uel certe ut potero: nam aduerti propterea tum etiam diligentius illum ipsum Homeri locum.

Hic nemora in cœlum late crescentia surgunt,
Punicei pomum grani, malumque, pirumque,
Et dulces ficus, & magnæ Palladis arbor.
Non illis borealis hyems, non officit æstas
Torrida: sed placidas zephyris spirantibus auras
Arboribus totum superat fœtura per annum:

Et pomo

Et pomo inſenuere recentia poma priori;
Et noua iam miti ſuperaduenit uua racemo.

Medius mons nunc uariis arboribus late ſylueſcit, & præcipue pinis & fagis maximam in magnitudinem multitudinemque creſcentibus: quarum illæ inferius, hæ ſubliniores ſunt: nunc nudo latere arabiles in plagas extenditur; & ſæpe uſque ad imum deſcendit, frumentis adeo fœcundus; ut credita nonnunquam in centuplam ſegetem cultoribus ferat. Itaque prudenter, ut multa, illud etiam priſci uiri; quod nobiliſſimum templum Cereris in Aetna conſtituere: ubi enim potius dea ſegetum coleretur; quam ubi ſegetes optime prouenirent? atque id quidem tantum de ſegetibus: uerum ab uniuerſa Aetnæ fertilitate, ut opinor fabula etiam emanauit, Ariſteum giganta eo in monte ita ſaluum eſſe atque uiuere; ut neque ab Aetna prematur unquam, neque flammis cœleſtibus inuratur; quod optimi & uberrimi eſſent fructus; qui per Aetnæ loca naſcerentur, nullo telluris uitio, nulla aeris offenſi malignitate: nam et Ariſteos græci quidē illos uocabant, qui uiciſſent in certaminibus; & gigantas ſcimus eſſe filios telluris appellatos: ita, quoniam fructus uniuerſos tellus, quaſi mater parit; cum fructus Aetnæos eſſe optimos atque uberrimos uellent dicere; tanquam cæteros ſuperarent; fabulæ datus eſt locus non inuenuſte quidem; ſi tibi ita uidetur: expecto enim etiam quid tu ſentias ſcire abs te. B. P. Mihi ſane uidetur: itaque redde cætera. B. F. Reddam pater, atque illa ipſa quidem; quæ a principio poſtularas: uentum eſt enim ad id; ut iam de ignibus loqueremur. B. P. Verebar

ſane, tu ne me longius circunduceres: quanquam quid lon gum mihi eſſe hac in re, qua de nunc agimus, atque hoc in otio poteſt? B. F. Curabo id quidem, ne fiat ſi pote ro, quantum potero, diligenter. B. P. Imo Hercle fiat potius; etiam id ſi facere ipſe, ne fiat, potes: non enim impedio: illud autem ideo dixeram; quia te puta- bã ante quam iſtuc acceſsiſſes, aliquandiutius erraturum. B. F. Ego uero exiſtimabam pater erraviſſe me ſic eti- am nimis diu. B. P. Non eſt ita: ſed, ne nunc tandem erremus; perge de ignibus, ut propoſuiſti: uerum autem quid hæres? B. F. Pergam equidem, ut iubes: ſed ſcin, quam in ſalebram inciderim? B. P. Nihil profecto minus. B. F. Dum tibi ad ignes feſtino; eam Aetnæ partem, quæ nobis una reſtabat de tribus, ſic enim partiri ſoleo, & qua ſine ad ignes ipſos perueniri non poteſt; pe- nè omiſeram ſuboblitus: ita Aetnam, quaſi Chimæram, cæcideramus; & tanquam ream capite mulctaueramus imprudentes: ſed agam nunc tutius; ac de utroque ſimul loquar. Superior itaque montis pars; nam iam de iis, quæ infra ſunt, diximus; uſque ad ſummum cacumen nuda uariam faciem oſtendit: nam alibi ſemiherboſi tractus ſunt interſurgentibus tophis; qui etiam in pedemontana regione pasſim uiſuntur: alibi per ſumma ora exundans incendium ſaxis fluentibus totas plagas occupauit: alibi arenarum campi magnam in longitudinem et latitudinem extenduntur. In ſupremo crateres duo ſunt: quorum alterum, qui quidem inferior eſt, ipſi uidimus in putei ro tunditatem anguſtum, emisſis ueluti gemina ſponda cir- cunquaque ſaxis tum exuſtis, tum diuerſicoloribus: at-

que hunc lapidea planities ambitu angusto continet : quo
ut primum inscendimus ; sulfureis statim nebulis & uren
ti fumo , ueluti e fornace , percussi ora penè retulimus
gradum : mox increscente audacia , qua uentus perflabat ,
paulatim ingressi craterem ipsum tetigimus manu. Effun
debatur inde , tanquam ex camino, fumus non intermissa
exhalatione : is tamen etiam scissa per longa incendia mon
tis cute uentis intus furentibus qui eo die uehementes fue
runt ; multis in locis sibi faciebat exeundi uiã : interdum
quoque repente ipsis sub pedibus exiliens manere nos uno
in loco non permittebat : quinetiam illud accidit ; ut quem
locum maxime contemplabamur ; quod erat saxis nuper
effusis & adhuc ignem & sulfur retinẽtibus incrustatus ;
per hunc , qua parte concesserat in rimam , subito efflue-
ret igneus riuus ; ac pedes ipsos inter emissa ex riuo saxa
urentia prosilirent. B. P. Quid ais ? peream , ni me
totum commoues fili , atque etiam perterrefacis tua ista
oratione. Quid autem saxa illa ? an quenquam uestrum
læserunt ? B. F. Neminem profecto pater : quin eti-
am eorum duo , cum refrixissent , quæ manu capi pote-
rant , Messanam deportauimus sulfuris partem seruan-
tia , cætera subnigra. B. P. Quid enim uos tam ul-
tra temere procedebatis ? B. F. Quia cum licere illic
nobis tuto consistere putabamus : tum etiam lustrandi sin
gula studio , uel potius auiditate ferebamur. B. P. An
nesciebatis Plinium illum maiorem ita occidisse ; dum ni-
mium diligenter , ne dicam inconsulte, Veseuiani incendij
causas perquireret , montemque perlustraret ? B. F.
Quid ni sciremus pater ? uerum tanta nos delectatio illi-

us spectaculi detinebat; tanta rei nouitas, tantus inuaserat stupor; ut sui ipsius iam nemo satis nostrum recordaretur. Sed missa hæc faciamus; atque ad illam planitiē, de qua modo dixeram, reuertamur: quæ quidem ita tamen perurebat ipsa; ut admotæ solo manus, nisi extemplo retulisses, offenderentur: pedes duplici calciamento ita propter ascensus difficultatem comparato tuebamur. Ab eo cratere, quem dixi, mons per fundæ iactum insurgit ascensu difficillimo partim salebris impedientibus, partim tardantibus arenis: & cliuus statim etiam omnibus ex partibus impendebat. is uniuersi corporis uertex summus est. Ab eius inscensu detinuere nos potentissima uis uentorum, & exhalantes fumi: itaque tibi de illo referre quidem aliud nihil possum, nisi tibi ea uis recenseri, quę ab Vrbano monacho accepimus postea, Messanæ cum esset, homo ille quidem spectatæ fidei, atque harum rerum cupientissimus sciscitator: is enim paucos ante nos dies per summam tranquillitatem totum uerticem perlustrauerat. B. P. Imo uero cupio: noui enim ego illum, atque amo; quod te non latet: quare mihi futura sunt hæc omnia illius etiam testimonio gratiora. B. F. Aiebat ille igitur; quando ea tibi narrari postulas; quibus tamē ego tam accedo ut credam, quam omnino si aspexissem; uerticem illum esse ab ingenti cratere occupatum ambitu circiter quatuor stadiorum; cumque non usque in imum descendere eodem hiatu; sed aluum sibi intus paulatim astringere catenus, quoad in eius medio ad euomenda montis incrementa satis amplo ore foraminatur: tum esse in summa montis corona paruum tramitem; ubi pedes firmentur:

mentur:

mentur: ex eo ſi quis declinauerit; aut in craterem obrui, aut e monte deturbari: ſtetiſſe tamen ſe ſe ibi dum barathrum exploraret: eructaſſe tum montem magno ſtrepitu incendia caliginoſa, & urentes petras ſupra os, quantum ſagitta quis mitteret, inſurgentes: atq; eum, ueluti corpus uiuens, non perflaſſe ſemper; ſed emiſſa ſemel anima ceſſaſſe diutule, dum reſpiraret: tum ſe copiam intuendi habuiſſe, quæ uellet: mox reſpiraſſe iterum atque iterum pari interuallo uſquequaque: interea ingemere intus cauernas auditas; intremere etiam tonitruis montem ſub pedibus magno & formidoloſo ijs, qui aderant, horrore: ex quo illud mirum uidetur; quod qui tum ſtrepitus per tranquillitatem ſentiebãtur, eorum a nobis nihil auditum ſit in tanta ferocia uentorum. B. P. Illud uero nec uideatur fili, neq; plane ipſum eſt mirum: conſtat enim, quemadmodum ſcriptores tradidere, ſimul cum uentis Aetnæ animam immutari: & quo flante fumos tantũ aut caligines exhalet; eo ponente modo puras, modo craſsiores flammas emittere pro ſurgentium uentorũ qualitate: aliquando etiã effundi torrentes ignium uaria exundatione prout intra montis uiſcera pinguia, uel exilia incrementa ſunt: quæ cũ ita ſe habeant; illud etiã poſſe fieri quis eſt, qui neget; leniſſima unius uenti aura eos ſtrepitus intra montem excitari; qui uel furente altero nõ queant? non enim q̃ perflet quis; ſed q̃ intret in montem, quanq; ſe in cauernas illius, inq; uiſcera inſinuet, eſt ſpectandum. B. F. Intra montem igitur tu, tanq̃ intra pectus animam, ſic accipi ab Aetna uẽtos putas; quibus illa modo ſpirat leniter, modo uehementius incitatur? B. P. Sane quidẽ: niſi tamen ueriora illa ſunt; quę

de Typhœo, deq; Encelado poetarū fabulosa diligentia cō cinnauit. B. F. Verissima illa quidem fabella est: sed perge tu mihi; atq; etiā pater huius incēdij causas redde, si placet: nā ex incolis quidem inuētus est nemo; qui ea nobis paulo uerius explicaret. B. P. Pergam, ut libet: sed nō prius id faciam; q̃ mihi dixeris quō illud sit, qđ tu uerissimam fabellam dixisti. B. F. Quia sane ea demum uerissime fabula est; quæ nihil habet ueritatis. B. P. Pulchre nimirū: atq; isto modo ego etiā dicere historiā maxime falsam possum; ut ea sit demū falsa quā maxime historia, quæ falsi habeat nihil. B. F. Non sequitur istud pater: sed nos dialecticen e captiosis sophistarum circulis coronisq; ne auocemus: satis enim habet illic negoti. Quare age mi pater; explana potius illa nobis, quæ petimus; ea incendia unde oriātur; & orta quō perdurent. B. P. Tu uero postulas etiā sine dialecticis philosophari: qđ quidem ipsum fieri q̃ possit; uel alio tempore ex te ipso cognosces; uel cum uoles, audies de me: nunc uero age, philosophemur: interea tamē paulisper hoc in cespite considamus: neq; enim ullis adhuc Nonianis legibus cautū est, ne quis temere quoquo in cespite cō sidat: quemadmodū olim Romanis, ne quoquo in gradu. & ego iam deambulando defessus sum. B. F. Tu uero quiesce, ut libet, & quādiu libet: ego aūt & stare adhuc possum libentius; & te ita melius auscultabo. B. P. Et quidem hoc etiā licet: sed quoniam ita uis; ut, quibus de ignibus ego te antea interrogauerā, de ijs tu me nunc audias disserentē; breui expediā, quæ sentio: neq; enim nimis multa sunt. Tellus quidē omnis Bēbe fili, sicuti nostra corpora, foraminibus canalibusq; distincta est, & tanquā uenis internotata;

siue q̄d omnino coire non pōt, quæ spetie quidem multum sibimet differat intra sese; siue q̄d aut gignit ipsa semper aliquid, aut interimit, & immutat; neq; unum idem omnis, atq; semper manet; siue; ut alij tradidere, & quidē princi-pes in philosophia uiri; quia plane uiuit ipsa; atq; a mundi anima uitam trahens ab eadē mundi anima extra intraque perlustratur. Sed in omni tellure nuspiam maiores fistulę, aut meatus ampliores sunt; q̃ ijs in locis; quæ uel mari uici na sunt, uel a mari protenus alluuntur: nā cum exedit sem-per mare, cōsumitq; suopte contactu suaq; natura omnia; tum aūt si partem est nactum aliquam debiliorē membraq; non adeo robusta telluris; erodit illa multo facillime, pergit que in uiscera ipsa, q̃tum pōt: itaq; cum in aliena regna si bi uiā faciat; uentis etiā facit: ex quo fit; ut loca quæq; ma-ritima maxime terræmotibus subiecta sint, parū mediter-ranea. q̄d si etiā in sulfuris uenas uenti furentes inciderint; tū incendia excitantur sane non difficulter: quoniam & in sulfure concipiendi permagna ignis uis inest; & uenti etiā aliena succedunt ui sua: hæc aūt tu ut in Aetna accidāt o-mnia, uide: quippe, ut modo tute dixisti, quæ mare in radici bus habeat; quæ sulfurea sit; quæ cauernosa: seu q̄d natura ita fuerit semper ipsa; seu q̄d a mari aliquando perforata uentos admiserit æstuantes; per quos idonea flammæ ma teries incenderetur. Habes, unde incendia oriantur Aetnę tuæ: habe nunc q̄uo etiam orta perdurent: in quo quidē no-lo ego te illud admirari, q̄d uulgus solet: magnū esse scilicet tantas flāmas, tam immensos ignes post hominum memoriā semper habuisse, quo alerentur: quid est enim magnum ipsi magistrę rerū omniū, atq; artifici naturę? quid arduū; quid

illa tandem non pōt? qui stellas; qui solem; qui cœli cōuexa; qui terras oēs, ac maria; qui mundum deniq; ipsum, quo nihil est admirabilius, uel potius extra quē nihil est, qđ admireris; sæpe sine admiratione intuemur; iisdē nobis esse Aetna miraculum pōt? caue sis tam imprudens fili; ut tu id putes: nam si naturā respicimus; nihil in Aetna est, qđ mirum uoces: si rem consyderamus ipsam; nonne tibi etiā mira uideantur cum alia loca permulta, tū uel Aponi nostri fontes, calidæq; illæ, quibus natura non tantum ut calefacerēt dedit, qđ erat tamen ab aquis alienum; sed multum de iure quoq; rerū omnium concessit, multum de nostro, tū aliquid de deorū etiā, & suo; ut morbis scilicet mederētur nō modo sine ullo ægri dolore, qua de causa græco uerbo Aponus nomē inuenit; sed ēt cum uoluptate? itaq;, qui curātur,

N on uenas reserant (ut ait ille); nec uulnere uulnera sanāt;
Pocula nec tristi gramine mista bibunt:
Amissum lymphis reparant impune uigorem;
Pacaturq; ægro luxuriante dolor:

Nam morbos quidē expellere hominum plane est rerum usum multarū recte callentium: hoc aūt uel sine dolore id efficere; uel (quod multo est maximū) etiam cum uoluptate; deorū mihi quidem uidetur esse proprium, ipsiusq; principis omniū, & parentis naturæ. qđ si cum uno Aponi fonticulo profunda illa cōparaueris, inundationesq; oēs Aetnæ tuæ; fortasse nō uerear, ne noster hic colliculus tuo illo monte sit minor. Sed faciā, ut tibi pollicitus sum, & Aetnæ incēdia quomodo alantur, docebo. Quoniā igitur omnia (ut scis) humore atq; calore concipiuntur; cū & semper ardeat mōs, & semper a mari perlustretur; habes iam duobus his

uerbis, qđ petis: ignis enim, qui detrahit semper aliquid atq; consumit; gignit etiã semper aliquid sibi, quod consumat, suo ipsius calore humectantibus undis tellurem, semperq; igni materiam sufficientibus, quo alatur: nã & bitumen maxime, qđ sulfuri simillimum est, fit ex terra & limo exudãte tellure; tum & eiusdem fere generis balumen; qđ quia ex salo & terra conficitur, ita uocatur. B. F. Vnde aũt saxa, & pumices pater, & eiectamenta illa, quæ uomit? quid illa tandem sunt? an sulfur tantum, bitumen, balumen omnia? B. P. Nequaq̃ fili: sed tanta est uis igniũ, præsertim inclusorum, & uentis intus furentibus; ut non uiscera imbecilla modo; sed plane nerui etiã fortiores corripiãtur telluris; & saxa ipsa durissima liquefiant. B. F. At ea ipsa saxa non aliquando defecisse, montemq; sibi nõ subsedisse, nonne illud est mirum pater? B. P. Neq; id fili quidem mirũ: tellus enim semper fœcunda sui est; semperq; semet ipsa parturit: nisi tamen malis tu cũ Pythagora sentire; qui quidẽ apud Ouidiũ ita præcipiens inducitur ut audeat affirmare Aetnea incendia non esse usquequaq; duratura. B. F. Ego uero, quid sentiam; nõ sat scio: quanq̃ equidẽ mallem Pythagorã, q̃ Empedoclem imitari: ille enim quæ naturæ consentanea uidebantur, credebat asserens mutari quidem omnia, nihil tamen omnino interire: hic; dũ curiosius naturæ causas perscrutatur; etiã se ipsum imperscrutabilẽ facit. B. P. Sed ualere nos illos sinamus fili: & quoniã nos tibi, Aetnæ incendia unde fiant, diximus; id uelim ego scire itẽ ex te, ipsa hæc quomodo fluant. Neq; enim puto huius ignarũ rei, tanquã dormientem spectatorem, sic te ex eo spectaculo rediisse. B. F. Iam istud quidẽ pater fieri sine ullo negotio potest uel una Hesiodi cõparatione; qua

ille in sua theogonia fluxisse ait tellurem, ubi eam post fulminatum Typhœum igne correptã describit, hoc ni fallor modo: ex quo sane libet mihi suspicari etiã pastorem illum Ascræum aliquando Aetnam conscendisse; atq; inde sibi sumpsisse; quod de uniuersa tellure scriptum reliquit:

Vritur ipsa ingens tellus; æstuque furente
Liquitur; albentis quondam ceu lamina plumbi
Arte uirum flammisque caua fornace liquescit:
Seu ferrum; quanquam hoc maternæ uiscera rupis
In duras aluere uires; cum ferbuit olim
Vulcani domitum manibus, terraque fatiscit.

Et quidẽ propterea illũ ego plũbi, & ferri exempla posuisse crediderim; ut alteri ea cõpararet, quæ igne facilius corripiuntur & fluunt; ut sulfurea tellus omnis, & ex telluris partes, quæ tenuiores sunt; alteri aũt cum saxa omnia, tum ea, quæ flãmæ resistunt magis, & sunt suapte natura duriora. B. P. Mihi hæc quidẽ certe nõ displicent ipsa per se: atq; etiã delectauit me non nihil poetæ ingenium; qui tam apte descripserit fluentem & ardentẽ tellurem: sed tamen tu fili nimiũ preparce respondes ad illa, quæ peto: nõ modo enim hoc ita simpliciter cupio, ea incendia qũo fluant, scire abs te: sed etiã, ubi descenderint, quam faciẽ capiant; tum si perdurant eadem semper, an aliquando immutantur, audire. B. F. Geram tibi morem pater; & ea, quæ postulas ut potero, explicabo. Pleno iam partu ut maturior est omnis fœtus, quicunq; in Aetnæ matris utero coalescit, nisu parientis expellitur, quacunq; prius rimã inuenerit, aut uiam sibi parauerit ui sua: sæpe tamẽ exit ex eo cratere, quẽ ipsi uidimus; nunq̃ ex superiore; q̃d uel eo inscendere grauis materia non queat; uel, quia inferius alia spiramenta

XIII

sunt, non sit opus. Despumant igitur flammis urgentibus ignei riui pigro fluxu totas delambētes plagas: ij paulatim recedente calore priorem sibi naturam reposcentes in lapidem indurescunt fragilem sane flāmis eneruantibus, & si complectas, putrem. Stat ea confluuies, ueluti glacies, cōcreta, usq; dum alteri descendant riui: ij nanque non supra fluunt; sed inter montis arenosam cutem & priora concreta fluenta insinuantes sese cursum sibi medium quærunt: sic, quæ prius indurauerant; quia friabilia sunt ut dixi; nouis incendijs cedentia crepant, & in partes disiecta prosiliunt, quacunq; unda deurgens interfluit: deinde conglaciantem eā altera subit illuuies; atq; ipsa tantundem facit: tū altera item, & altera: non enim continuato fluxu mons; sed per intermissos spiritus, ut supra commemorauimus, eructatur: atque ita nouissimis semper uincentibus, multiplicatoque in immensum incendio ex igneis fluminibus fracti lapides altissimo congestu magnam montis partem occuparunt: atq; ij, quo recentius fluxere, eo & nigriores sunt, & firmiores: ætate & pallescunt, & resoluuntur: inde ego esse arenarum plagas omnis, quæ circa cacumen uisuntur, existimo. Materies omnis aridissima est; atque ideo minus multo, q̄ uiui lapides, ponderosa; scabra adeo, ut breui mora, tanq̄ a lima, conscendentium calcei exedantur. B. P. Atqui ego sane in eo mallem Empedoclem imitari; qui ascensurus amyclis æreis utebatur: sed sequere. B. F. Ea infra paruum craterem circumuersus totum montem complexa est; & cumulum eum, in quo maior crater est, sustinet: demittitur inde alicubi per interualla imum in mōtem obliquis fluxibus; quaque Catina iacet, usque in mare; lata sæpe, qua uisus patet; horrendum sane specta-

culum modo alueis hiantibus, modo impendentibus ripis. Inter maxima profluuia longe memorabile illud est; quod paulo ante nostram ætatem usq; intra Catinam decurrens non paruam urbis partem incendio depopulauit: neq; sane descensus is minus, q̃ per. cc. stadia conficitur. Quin etiam portum eum, de quo ait Virgilius

Portus ab accessu uentorum immotus & ingens
Ipse; sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis;

ita impleuere fluenta Aetnea; ut iam errasse Virgiliũ putes, qđ portum ibi esse ingẽtem dixerit, qui pene nullus sit. B. P. Istud nimirum est, qđ a principio dixeras cedere illis uolentibus, atq; eorum contrahi ardoribus ipsum mare. B. F. Est ita quidem, ut dicis: sed ut ad propositum reuertamur, reptare per eas crepidines, quas dixi; duobus mil. pass. necesse est quem uis craterem uisuros: reliquum iter in equis conficitur. reptationis eius labor haud facile credas, q̃ durus est, quãq; indigens uirentis genu; quippe, quia degrauante uiatore temere ingesti lapides cõcedunt; & in ascensu maxime arduo, ni probe posueris pedẽ, dimoto uno tota congeries deuoluitur, & in te ipsum ruit: adde, qđ etiã, si in plano cecideris, lædunt scabritie sua; et manus crebro contactu, nisi cõtexeris; atteruntur. Magna hæc fortasse uidebuntur pater audienti tibi: magna enim sunt ut mihi quidẽ uideri solent; uerũ nusquã adeo, ac nobis inspectantibus fuerunt: nã Aetna quanta est, nemo quidẽ scit, qui nõ uidet. Ex summo uertice cõtẽplari totã insulã licet: termini eius longe esse multo minus uidẽtur, q̃ sunt. Brutia ora ita tibi sub oculis iacet; ut eo posse traycere pene quidẽ iactu lapidis putes: serena tẽpestate Neapolitani etiã tractus extimãtur. Niuibus per hyemẽ fere totus mõs canet: cacumẽ neq;

per æstatem uiduatur. B. P. Quid, quod hyemare tantũ eas & Plinius & Strabo meminere? B. F. At experiẽtia ita te docet, usus'q; ipse auctor, qđ quidẽ uenia illorum dixerim, longe certior. Quare illud mi pater etiã atq; etiã uide; ne quid te moueat, si aliqua ex parte huius nostri de Aetna sermonis cum uetustis scriptoribus dissentimus: nihil enim impedit fuisse tũ ea omnia, quæ ipsi olim tradiderunt, quorũ permãserint plurima in nostrã diem; quædam se immutauerint; aliqua etiã allata sint noua: nã, ut cætera omittã; qđ cinerosa partim esse summa cacumina dixerunt; eius rei nunc uestigiũ nullũ apparet: cinis enim, qui queat conspici, toto mõte nullus est: neq; id tamen omnibus annis fuit: nam multorũ testimonio accepimus, qui uiderunt, annis ab hinc quadraginta tantos ex Aetna cineres euolasse; ut per totã eam insulæ partem, quæ ad Pelorũ iacet, omnem oleam abstulerint; eos etiam in Italiam uentis ferentibus latos. Sed, ut ad niues illas redeamus, addebat idẽ Vrbanus kalendis Iunijs ascendente se satis largiter abũde'q; ninxisse; tum iterum, qui dies septimus fuerit post eum diem, dum ipse Rãdatij moraretur, eo die in uniuersam montanam plagam niues fere in pedis altitudinem descendisse: in quo ipso licet Pindarum suspicere scite cognomento usum; qui Aetnam niuium nutricem appellarit. Quo latere subest Catana, media fere inter ipsam & cacumen regione purissimus & perẽnis fons erumpit dorico uocabulo Crana ab incolis appellatus: Cæterum toto monte supra radices nullæ aquæ sunt; nisi quæ uel ex niuibus emanant; cuius quidem rei etiam Theocritum testem habemus; in quo dum Galateæ Cyclops enumerat diuitias suas, hæc etiam interserit,

E ſt glacialis aquæ riuus mihi, quem ſyluoſa
Nectareum in potum niuibus fluit Aetna ſolutis;

aut ſi quæ intra fagorum truncos pluuijs deſcendentibus relinquuntur. Atqui res & locus me monuerunt, ut quod ibi uidimus pulcherrimum naturę opus & mirati fuimus maxime, non præterirem. Altisſima in ſpecula; qua ſylua deficiente liberior proſpectus in inſulam, & Tyrrhenum mare eſt; herbidus campus leni decumbit cliuo: hunc pini proceræ pari diſtantes interuallo ducta corona circūſepiunt: in medio fagus denſisſima quadrifido robore ſe attollens, celſior quam cæteræ, ueluti regina ipſa conſurgit: ea non ſtatim diſcriminatur; ſed a tellure per ſpatium cubitalem uno trunco contenta eſt: inde ſe in ramos conſimiles æqualibus interuallis diſpartitur: interne uſq; ad imas radices arbor deficiens undis pluuialibus urnam ex ſeſe facit: illæ montano purgante aere, ac umbris ſolem arcentibus & fontanis gelidiores ſunt, & putealibus puriores. Ambigeres ibi tu quidem pater ſi quid eorum tibi laudandum eſſet; quid nam potisſimum laudares, an proſpectum eius loci, an locum; tum an arborem, an undas: ita ſcite in alteris decorandis; quaſi quidem id agerent; ut quid magis pulchrum eſſet, ambigeretur; & Hamadryas, & Nais conuenerūt: in honeſtandis uero alteris admirabile quidem eſt, quantum gratiæ uenuſtatisq; ſibi inuicem afferant Iupiter Genio, & genius Ioui: quo fit; ut in utriſque multum Venus etiam permiſta ſentiatur. B. P. O pulchras naturæ delicias, uel etiam deorum, ut poetis placet; ſi qui ſunt, qui eum montem colant. B. F. Sunt pater, ut aiunt; atq; incolunt illo ipſo quidem in loco. B. P. Mi

rabar; si hæc temere dicerentur prouenire, præsertim a Siculis; quos quidem constat propter sermonis impunitatem & licentiam etiã trilingues uocatos: sed quis inhabitat deus? B. F. Fauni esse fontem illum dicunt. B. P. Fabellam te uideo inchoare: sed quoniam in Faunum incidimus, sequere: detineri enim me ab illo facile patior; cũ quo te scio libenter etiam carminibus ludere interdum solere. istud autem qui sciunt? an ita coniectantur? B. F. Videre se inquiunt pastores ipsum deum passim errantem per syluas & pascua; tum etiam sedẽtem sub illis arboribus coronatum pinu, & tacentem sæpius; interdum tamen etiam fistula solantem amores. Sed continebo potius me hic pater. leuia enim hæc sunt; & mihi loqui tecum, nisi reuerẽter non licet: quãquam si pergerem; faceres tu quidem hac in re; quod facere etiam reges in cœnis solent: qui quidem inter apros & pauones; quibus abundant quotidie; interdũ tamen & allium poscunt & betas. Neque sane animus noster uacare semper rebus seuerioribus potest: neq;, si uacet; tamen ex illis tam plenam capit uoluptatem; quã si ea ipsa remitteret interdum, & mox nõ longo interuallo intermissa reuocaret. Ita tu nunc grauia illa philosophiæ studia; quibus quidem certe id omne tempus soles, quod tibi per rem publ. licet impertire; melius etiam fabellis hisce leuioribus condienda remitteres. & quidem licet maxime uel in Noniano fabulari. B. P. Sane quidem licet; dum illud tamẽ semper teneatur; ut cerato remige Sirenas, quod aiunt. Et profecto poeta ille sapientissimus nunquam Vlissi concessisset, quem prudentissimum semper facit; ut Sirenarum cantus audiret; nisi liceret etiam grauibus & sapientibus

uiris; quorum tamen in numero me non pono; minus serijs adesse interdum rebus, & lusus captare non adeo seueros; modo ne remiges audiant; hoc est, ne sensus pateant uoluptatibus; quibus & demulcentur ipsi semper; &, nisi ratione occlusi sint, sæpe etiam facillime capiũtur: quod tibi esse faciundum in uita maxime semper censeo Bembe fili: nam nisi te ita informaris, ut uoluptatũ illecebris animũ imperiũ geras; non possum dicere, quã multæ tibi occurrẽt species earũ; quæ te non adolescẽtem modo, ut es nunc, demulcere possint et delinire, ac iam etiã debellare & deuincere; sed planè etiam uirum. Itaque illis aut magnanimiter imperandũ est; quod fecerunt uiri omnes magni, & boni, & ij, quos propterea deos etiam appellauerunt; uel omnino turpiter deseruiendum: in quo quidẽ tu si me audies, non committes; ut reiecta continentia atque ipso amore uirtutis ex illorum sis grege, de quibus plæclare Oratius,

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati,
Sponsi Penelopes nebulones, Alcinoique,
In cute curanda plus æquo operata iuuentus;
Quis pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessantum ducere curam.

Sed quoniam inclinata iam est dies, procedamus in atrium: nugæ autem pastorales istæ tuæ sub umbris sunt potius et inter arbores; quam intra penates recensendæ. Quæ cũ dixisset, & iam in atrium peruenissemus, ego finem loquendi feci; ille cogitabundus in bibliothecam perrexit.

Venetiis per Io. Ant. eiusq; Fratres de Sabio.
Anno Domini. M D X X X.